

facta obvolvuntur? Criticorum peritia non omnia penitus rejicit, sed digniora seligit, & vera à falsis, certa ab ambiguis, historias authenticas ab incertis circumstantiis fecerit.

Ut Romano Petri itineri, & nostræ interpretationi, qua Babylonem de Româ explicamus, fidem adimant, Veterum Scriptorum autoritatem, à quibus utrumque accepimus, infirmare conantur. Papiam, exilis ingenii virum, simplicem, & credulum vocant, & quosdam ejusdem traditiones produunt, incertas prorsus. S. Ignatii Martyris Antiocheni Episcopi textum commentitium patibent, & Epistolam, quam Smirnâ ad Romanos scribit, ei affictam blaterant. S. Irenæum, S. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, plus nimio credulos, & quibusdam tam facti, quam juris erroribus obnoxios appellant, & ea, in quibus à veritate aberrarunt, curiosè recensentes, illos ut alibi, ita & hic critica, diligentia, & inquisitioni deesse potuisse ostentant.

Optimum sanè contra Patrum autoritatem perfugium! Si trium priorum seculorum Patres nullius fidei, & autoritatis, viri etiam simplices & creduli habendi sint, à quibus nos de Religione erudimur? Protestantibus, qui Præceptorem quemlibet, præter trium eorundem seculorum Patres, rejiciunt, quomodo in dogmatis & doctrinæ rebus eorum testimonio fidunt, si in facti & historiarum rebus nulla eis fides sit adhibenda? Quot nostræ Religionis dogmata factis innituntur, vel saltem cum eisdem ita necluntur, ut secerni non possint? Si Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus nullam sibi fidem vendicant, eorumque testimonium prorsus rejiciendum ducitur, quos testes ma-

joris fidei, ingenii, nominis, & autoritatis adhibebimus?

At enim pluries decepti sunt. Et eos homines fuisse fatemur. Verùm & hic deceptos esse validis argumentis adversarii ostendant. Concludit ne ratiocinium: Et hic, sicut alibi, decipi potuerit; ergo revera decepti sunt? Errorem probent, alacinationem proferant; & nos ultro fatemur. Quæ nisi præsentent, nobis utique maximi habenda eorum autoritas, præsertim eum de facto agatur publico, cognito, celeberrimo, & quod Religionis, & Ecclesiasticæ Disciplinæ permagni intererat, ne tanti ponderis res lateret, ubi nempe præcipua resideret autoritas, quod in controversiis confugiendum, & quod unitatis, doctrinæ, & communionis centrum omnibus habendum foret. Plurimi denique eorum ducendum est testimonium de facto, de quo, quamvis re inconcussa nonnullam levissimam ponderis circumstantiam immutent, omnes unanimi voce conveniunt.

Concludamus igitur Romanam Petri iter certè constare, & omnium Veterum, imò plurimorum etiam ex doctioribus Protestantibus Criticorum testimonio exploratum haberi. Textum verò primæ Petri Epistolæ, quo Babylone scriptæ innuitur, neque de Chaldeæ, neque de Ægypti Babylone, neque de Jerosolymis, sed de Româ solummodò cum omnibus vetustæ ætatis Authoribus esse explicandum; eos denique, qui huic vetustissimæ, validissimæque argumentis innixæ sententiæ adversantur, neque dignos esse, quibus respondeamus, cum vel negativa argumenta, vel circumstantiarum diversitatem tantummodò objiciant, quæ rem minimè evertunt.

DISSERTATIO

DE LIBRORUM SACRORUM Inspiratione, ad 2. Petr. 1. 21.

ARTICULUS PRIMUS.

Certa Librorum S. Scriptura Inspiratio.

Sunt qui ingenii perspicaciam, ostentantes, & supra Vulgi præjudicia sese effrentes, nil de Religione excipiant, quod argumentorum trutinâ non habeant exploratum. Unde Scripturam, quam allegamus, suam autoritatem derivet, assidue postulant; nobis verò respondentibus, à Spiritu Sancto, à quo Ecclesia certè inspiratam se novit; unde hoc certè sciat, reposcunt; quibus si Ecclesiam errare non posse dixerimus, quod ipse Dominus se commissurum spondit, *ut porta Inferi non prevaleant adversus eam* [a], minimè acquiescunt; imò quid, subdunt, ad Ecclesiæ falli nesciæ argumentum Scripturæ autoritas producit, cum de Scripturæ autoritate sit controversia? Circulum utique vitiosè ducimus, & incertis ambigua probamus. Quare directa sibi petunt exhiberi argumenta, positivè Scripturarum inspirationem evincantia.

Ut his satisfaciamus, conabimur. Nisi Scripturæ essent Divinitus inspiratæ, in maximum Religio nostra discrimen adduceretur; & nisi id à nobis perspicue queat ostendi, Fidei hostes nimiam de nobis victoriam obtinerent. Si Religio humanis tantummodò argumentis innititur, vera Religio prorsus corrumpitur; de eâ enim certis, & inconcussis destitutâ principis quisque, ut sibi collibitum erit, decerneret: hic alterum rejiciet articulum, alteri ille adhaerebit; hic martem suo Fidei dogma instituet; ille ritum Religionis inducet; neque inde cultus & Fides proba, & rationi concors exsurgere, sed monstrum ex variis, & nullo inter se nexu copulatis opinionibus compagium produceretur. Quæ utique Religio à verâ Religione longissimè abesset. Quare necesse est, certo & immutabili principio fides nostra fulciatur.

Quod sanè principium Deum ipsum esse defendimus, Deum, inquam, qui suas nobis veritates in Scripturis aperuit, easque tuendas, & explicandas credit Ecclesiæ, cui, sicuti & Sanctorum Librorum Authoribus, lumen falli nescium impertit.

Hæc in nostra Dissertatione probanda. Eos verò cum quibus hæc nobis disceptatio, satis persuasos credimus de existentia Dei, de animæ immortalitate, & de necessitate veræ Religionis, qua Deo Fidem, amorem, & famulatum pro viribus præstandas esse erudiamur.

Eos præterea, qui Librorum Sacrorum inspirationem impugnant, rogamus, ut illos saltem, veluti Libros authenticos, verasque historias referentes excipiant, tantique habeant, quanti Libros, quos Ethnici, & prophani Authores fide digni, & rerum, de quibus agunt, periti dedere. Ea sanè fides Moyfi & Evangelistis neganda non est, quæ Thucididi, Julio Cæsari, Suetonio, aliisque Historicis. Si hæc nobis dederint, & pugnandi cupidinem, cæteraque falsa præjudicia ex animis expellant, Libros, quos Sacros, & inspiratos defendimus, hujusmodi verè esse, ipsis liquidò nos ostensuros nobis pollicemur.

Si Deus est, est etiam Religio: homini enim quædam necessarid præstanda sunt, quibus Deum supremum esse Dominum, se verò famulum profiteatur. Religio autem minimè subsistit, nisi expressè revelentur, quæ Deus ab homine exigat, & quomodo cultus, & famulatus sibi velit impendi. Si enim homini indulgeret, ut is quemcumque vellet, sibi cultum tribueret, omnibus, ut libitum cuique esset, fidem, & cultum instituentibus, in errorum, & superstitionum congeriem Religio transmutaretur.

Hæc insuper revelatio subsistens, æquabilis, & permanens esse debet. Si Deum, quæ nobis & credenda, & exercenda sunt, singulis seorsum revelare dixerimus, phantasmio utique & impietati aditum pandemus; se quisque deciperet, Deumque sibi inspirasse putaret, quod ipse per se ipsum excogitasset. Quare nil fixum, nil certum, adeoque nulla Religio in Religione esset; incerta enim Religio à re nulla magis quam à verâ Religione discedit.

Revelatio fixa & certa esse nequit, nisi in publicis, communibus, & hominum captui accommodis documentis tradatur;

O o hu-

a. *Matth. 16. 18. Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.*

hujusmodi sunt Scripturæ, quas inspiratas dicimus; nisi v. g. ubi obscura & æquivoca occurrant, & de horum documentorum explicatione dissidium obortur; nisi, inquam, saltem in re aliqua sensu subsistente, loquente, & eodem Spiritu, quo is, qui Scripturas dictavit, persuso, eas explicandi, earumque sensum stabilicndi jus & potestas resideat. Quæ quidem x. in nostris Sacris Libris impleantur, in quibus nihil eorum desideres, quæ ad cultum nostramque Religionem insituendam sunt necessaria; 2. in Ecclesia, cui ad Scripturas, ut par est, explicandas tota auctoritas.

Subsistentis verò in Libris Sanctis revelationis necessitatem rationis lumen, & insita omnibus persuasio demonstrat. Genesita omnes tenent, populis necessaria esse sacra quædam monumenta (*), quæ Religionis, quam profitentur, regulas & articulos complectantur (b). Quamobrem Hebræi, Indi, Ægyptii, Romani, Græci, Mahometani suas habent Scripturas Sacras, quibus plurimam venerationem exhibent, earumque Authores inspiratos, & supernaturali lumine persufos ostentant.

At enim: Libri, quos sacros habent Ægyptii, Indi, Mahometani, & alii, erroribus undique scatent; quis verò & Judæorum, & Christianorum Scripturas ab iis minime vitiatas certò nobis ostendat? Judæorum & Christianorum Scripturæ per se ipsas Divinitatis Characterem præferunt; à Viris falli nesciis, Prophetis, Jesu Christo, Apostolis auctoritatem accipiunt; comprobantur denique ab Ecclesia, quam Dominus in iis decernendis errori nunquam obnoxiam futuram promissit. Hoc statim probandum aggredimur. Iterum verò ab adversariis petimus, ut Moyfis Libris, cæterisque Judæorum & Christianorum Scripturis tamquam veris historiis fidem tantummodo adhibeant; quam quidem Moyfes, cæterique id genus Scriptores, eorum etiam tantummodo habitâ ratione, meritò sibi vendicant, cum sint Authores & ingenii præstantiâ, & fide præ cæteris commendandi.

Moyfes Pentateuchi Scriptor sese inspiratum testatur; prodigiosam utique vocationem suam narrat (c); se à Deo ad Pharaonem missum asserit, ut Dei nomine ad Hebræos libertati restituendos Regem adduceret, cui muneri cum ægrè nihil acquiesceret, Dominus opem ei suam (d) spondens, Quis, inquit, fecit os hominis, aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo. Refert præterea signa, quæ Dei virtute præstitit; quomodo Legem à Deo in monte Sinai acceperit, memorat (e); & ore ad os, seu facie ad faciem, ut amicus amicum alloquitur, Deum sibi loquutum testatur (f). Cum à Domini consortio maximum oris fulgorem hausisset, post obductam velo faciem populo se videntem exhibebat (g). In Moyfis Libris passim occurrit: Locutus est Dominus ad Moy-

* Plato in Timæo de Ægyptiis pag. 23. Item Joseph l. 1. contr. Apion. pag. 1052. Ita & Diodor. l. 2. de Romanis. Vid. Macrob. Saturnal. l. 3. Aul. Gell. l. 5. Tull. l. 2. de Oratore. b. Vid. Strabonem l. 16. pag. 722. Veteres, inquit, oracula consulebant. Legislatores Minos & Licurgus Leges sibi ab Jove revelatas dicebant. Amphiarus Trophonius, Orpheus, Musæus, Zarnolxis, & alii se inspiratos jactabant. Tales erant Gymnosophistæ apud Indos, Magi apud Persas, Chaldæi apud Assyrios, Aruspices apud Romanos, & Moyfes apud Hebræos. c. Exod. 3. d. Exod. 4. 11. e. Exod. 19. 3. &c. f. Num. 12. 8. Ore enim ad os loquor ei, & palam & non per enigmata Deum videt. g. Exod. 34. 29. &c. Qui vident faciem egredientis Moysi esse cornutam: sed operiebat illerursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

sen dicens &c. seu locutus est Dominus ad me &c. Futura Moyfes præcivit, præterita etiam sed incognita produxit; quæ quidem utraque hominis virtutem præcedunt. Mundi v. g. creationem exhibet, quam quidem nonnisi per revelationem acceperat; hominum enim nemo, neque Adam ipse, nonnisi post cætera à Deo sextâ die creatus, Mundi constructionem adfuerat (h). Post obitum Hebræorum à fide defectionem (i), Messie, seu Magni Prophetæ præcivit. Neque se, neque fratrem suum Aaron promissionis regionem ingressuros (l), eandem ab Josue comparandam (m), & Tribubus sortitò distribuendam prædixit; imò ac si sortes ipse dirigeret, cuilibet Tribui portionem suam designavit (n); quarum plenitudo quidam eventurum fuerat, præcivit (o); Leges denique tradidit, quæ Divinitatis Characterem apertum præferunt, sive earum præstantiam, sive Morales, quam docent, puritatem intueamur, sive illud miremur, quòd hæc cum ratione, & cum hominum erga Deum, & erga proximos officiis permaximè cohæreant; vel quòd omnes vaticinium, & eorum quæ in Christo & Ecclesiâ adimplenda fuerant, figuram exhibeant.

Testis pro Moyse Josue, testis pro Josue Moyfes. Omnes Veteris Testamenti Authores sibi mutuum testimonium præstant. Christus Moysem cæteroque Librorum Sacrorum Authores commendat (p), eosque veluti inspiratos & Divinâ auctoritate probatos allegat (q). Hinc fit, ut vel Moyfes, cæterique Veteris Testamenti Scriptores habendi sint inspirati, vel Moyfes cæterique omnium maximi imitatores judicandi; & ipse Christus ad eos nos remittens, eorumque Opera veluti Divina producents, clausis oculis eorum fraudes dicendus sit præterisse; Deus præterea, horum Authorum plerisque miraculorum & prophetiarum donis cumulans, eorum mendaciis & malitiæ favisse, nosque in errorem idecirò impulsisse, quòd eos tot suæ auctoritatis, opis, & amoris characteribus decoraverit. Quæ quidem nemo dixerit, nisi qui Dei ideam prorsus exuerit, & rationis lumen omninò extinxerit. Moyfes igitur, Prophetæ & cæteri Veteris Testamenti Scriptores inspirati Authores certò habendi.

Quod sanè & de Novi Testamenti facile ostendimus, modò adversarii historias Novi Testamenti veras, Christum verò Messiam esse fateantur; si enim res nobis sit cum hostibus, qui Christum illusorem vocent, & Scriptores nostros mendacii, Scripturas verò falsitatis insimulat aliâ utique viâ nobis incedendum esset. Christus Apostolis suis Spiritum Sanctum, à quo de veritatibus omnibus erudirentur, se missurum spondidit (r); à quo præterea Spiritu perfundendos, & nunquam relinquendos asseruit (s): quare de iis, quæ coram Judicibus & Principibus pronuntianda essent, minime cogitent, tunc enim eo lumine sapientiâ, ac quam necessitas postulat.

h. Genes. 2. 27. 31. i. Deuter. 32. 15. k. Deuter. 18. 15. Confer cum Joan. 1. 45. Act. 3. 22. l. Deuter. 32. 1. & 31. 2. & Num. 27. 13. m. Deuter. 31. 3. 7. 8. n. Deuter. 33. 5. 6. &c. o. Deuter. 33. 6. 7. 12. 13. 17. 19. 20. 21. 23. 24. 25. p. Matth. 13. 2. Super Cathedralam Moysi sederunt Scriba &c. Luc. 16. 29. Habent Moysem, & Prophetas, & cetera. Jo. 1. 45. Quem scripsit Moyse in Lege. &c. 5. 46. De me enim ille scripsit &c. q. Joann. 5. 3. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me. 10. 35. Non potest solvi Scriptura. Matth. 22. 20. Erratis nescientes Scripturam. r. Joan. 14. 26. Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c. s. Joan. 14. 16. Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.

† Matt. 10. 19. Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabit enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Vide & Luc. 12. 11. u. 1. Cor. 13. 3. An experimur quæritis ejus, qui loquitur in me Christus? Ibid. 7. 40. Puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam. Galat. 1. 8. Sed licet nos aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præter quàm quòd evangelizavimus vobis, anathema sit. x. 1. Timoth. 4. 13. Dum venio, attende lectioni. Rom. 15. 4. Ut per consolationem Scripturarum spem habeamus. 2. Timoth. 3. 15. 16. & 4. 1. Petr. 1. 20. & 3. 16.

y. Luc. 1. 1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, verum. Visum est & mihi, affectu omnia diligenter à principio, ex ordine tibi scribere &c. z. 2. Maccab. 2. 25. &c.

taret, instruendos, neque ipsos per se, sed Dei Spiritum per eorum vocem loquutorum (t).

Acta, & Apostolorum Epistolæ hujusmodi promissa implere ostendunt. Apostoli, & Discipuli inspiratos, & Spiritu Sancto affatos se perhibent (u); quos reverà Divino & supernaturali lumine persufos scripsisse, illud ostendit, quòd in eorum Scriptis ea scientia, & sapientia effluat, quæ scientiis omnibus, quas sibi naturaliter comparare poterant, præcelleret; eorum enim plerisque rudes & ignaros fuisse scimus. Deus præterea quæ ab ipsis dicebantur, miraculis innumeris comprobavit. Et ipsi igitur Authores inspirati erant; secus, omnium mendacissimi sunt illufores, & omnia vel eorum calami, vel eorum ætatis monumenta inter historicos & fabellas sunt numeranda. Quis verò hæc egerat, nisi naturæ, & rationis lumen, quo verum à falso fecernat, prorsus amiserit?

Quòd si Novi Testamenti Scriptores inspiratos fateamur, & Veteris Testamenti Authores item dicamus oportet; Christus enim & Apostoli passim Veteris Testamenti Scripturas veluti sanctas & inspiratas allegant; Petrus verò & Paulus ad eos Libros, quòd Sacri, & Divinæ sint auctoritatis, legendos hortantur (x).

Si Christus Dei Filius est, Messias, æterna Veritas, utriusque etiam Testamenti Libri inspirati sunt atque Divini. Christus enim se ita semper Ecclesiæ suæ adfuturum promissit, ut hæc de Inferis victoriam assidue referens, nunquam in errorem pertrahatur. Cùm igitur Ecclesiæ utriusque Testamenti Libros inspiratos doceat, vel hi ejusmodi sunt, vel Ecclesiæ decepta est, eique Christus in re permaximi ponderis deuit.

Quosdam quidem Scripturæ Libros, & quædam Moyfis, aliorumque Authorum loca, quibus ea, quæ sine revelatione nostri non poterant, referuntur, inspirata esse fortassis quis asserat: hæc tamen paucissima occurrunt. In cæteris verò nil naturæ viribus majus, nec inspirationis ad ea congerenda necessitas est ulla, cuiusmodi sunt Regum, & Paralipomenon historiae, à cæteris Authoribus scriptæ, vel à Scriptoribus junioribus ex Regum Juda & Israel monumentis depromptæ; morales Proverbiorum, & Ecclesiastici sententiæ; Ecclesiastes; Cantica, & Psalmorum plurimi. S. Lucas nil se scripsisse asserit (y), quod prius serid non perpendit, vel ab oculatis vitæ & mortis Christi testibus non acceperit. Secundi Maccabæorum Author in præfatione ita profutur, ut cæteri vulgò Scriptores, qui in spisso Opere contrahendo plurimum insudassent (z), enixèque incubissent, ut eorum quæ Originale complectebatur, nil præterirent, & unâ ad oblectamentum, & ad Lectorum utilitatem conferrent.

His respondemus, 1. Donèc argumenta subsistent, quæ SS. Librorum canonicam & Divinam auctoritatem probant, omnes omnino, & in omnibus sui partibus habendi sunt inspirati. Secus decepta esset Ecclesiæ, everfa Religio, Christus & Apostoli ad Veteris Testamenti Scripturas promiscuè nos remittentes, nihil monitos quæ inspirata vel secus habenda sint (a); in errorem & fraudem nos impulsissent.

2. Quòd utriusque Testamenti historiis ea sit auctoritas, ut erroris omnino immunes sine ullâ hæsitacione excipiantur, omnes omnino earum Authores inspirati necesse est absolute reputentur; aliàs Religio, quæ revelatis innititur, solidis suis fundamentis destitueretur. Si enim hoc e. g. in controversiam revocatur, quare non vocetur & illud? Veteris Testamenti ita inter se facta cohærent, ut nullum fecerni possit quin Oraculorum detrahat veritatem, quorum argumenta nonnisi ab eventu historico rerum ducuntur. Quomòdò enim v. g. Christum ex Davidis progenie juxta Prophetas natum certò sciamus, si Regum historię & Genealogiarum, quæ in Paralipomenis & alibi recensentur, veritas impugnetur?

3. S. Scripturæ Authores Prophetas & inspiratos fuisse, facile ostendimus. A Prophetis Samuele, Gad, & Nathan historias sub Davide contextas per Scripturam mscimus (*). Nathan, Gad, Addo & Ahas sub Salomone (b); sub Roboam Addo, & Semeias (c); Addo etiam sub Abiâ (d); sub Asâ Hanani (e); Jehu Hanani filius, Eliezer, & Jahaziel sub Josaphat [f]; sub Osâ & Ezechia Ifaias (g); Osai sub Manasse (h); sub Josiâ, ejusque filiis Jeremias (i), historias suas edidit. Nehemias & Esdras, sicuti & utriusque Tobias, ex Prophetis erant.

Quis David & Salomonem Divino Spiritu ductos non asserat, quos ingenii perspicacitate & sapientiâ à Deo cumulatos Scriptura commemorat [k]? Quis & eorum opera inspirata & divina non fateatur? An Spiritu Sancto indignum quid in eis dem sit reperire? Quis Judith, Esther, Maccabæos, Sapientiam, & alios quosdam Libros conscripserit, ignoramus. Ab Authoribus verò inspiratis contextos inde factis compertum, quòd in suo Canone eodem Ecclesiæ recensuerit.

Validius adversariorum argumentum à vitioso ratiocinationis circulo, quem nobis imputant, deducitur. Ecclesiæ à Deo infallibilitatem accepit; Ecclesiæ eadem utriusque Testamenti Libros inspiratos docet; sunt igitur inspirati. Ecclesiam verò infallibilem esse ex eo Evangelii textu probamus, quo Christus asseruit; Et porta Inferi non prævalent adversus eam. Quare Ecclesiæ à Scriptura suam auctoritatem, Scripturæ verò suam ab Ecclesiâ repetit; quo utique circulus vitiosè constituitur; per id enim, de quo queritur, aliud, cuius est discrimen, probatur. Qui Scripturarum inspirationem rejiciunt, etiam Ecclesiæ infallibilitatem necessariò respuunt. Esto tamen, Ecclesiam faterentur infallibilem, hinc nihilominus minime ferret, ut Scripturæ Libros inspiratos necessariò crederent, quos tantum veros ducere possent, & ab Authoribus conscriptos, quæ Christus suos Apostolos.

a. Jo. 5. 39. Matt. 23. 42. & 26. 54. Luc. 24. 27. &c. Act. 8. 35. & 17. 2. & 18. 24. Rom. 1. 2. & 15. 4. 2. Timoth. 3. 6. &c. * 1. Par. 25. 29. b. 2. Par. 9. 29. c. 2. Par. 12. 15. d. 2. Par. 13. 22. e. 2. Par. 16. 7. f. 2. Par. 20. 14. 34. 37. g. 2. Par. 26. 22. & 32. 32. h. 2. Par. 33. 19. i. Jerem. 16. &c. & 2. Par. 35. 25. k. 2. Reg. 23. 1. & sequ. Dixit David filius Isai, dixit vir, cui constitutum est de Christo Deo Jacob, egressus Psalter Israel. Spiritus Dei loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Act. 1. 16. Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David. Matth. 22. 43. Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum &c? 3. Reg. 4. 29. Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis &c. 3. Reg. 3. 12. Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tuus fuerit.